I. N. J.

DISPUTATIO JURIDICA

De

ACTIBUS FISCALIBUS IN CORPORE JURIS EXPRESSIS,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobiliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi,

DN. GEORGII REICHARDI Hammers/

Philoſ. & J. U. Doct. Anteceſſoris Primarii, & Codicis Jurisque Feud. Prof. Publ. celebratiſſimi, nec non Collegii Juridici h. t. Decani ſpectatiſſimi;

Domini Patroni & Fautoris ſui devotè ſuſpiciendi,

IN ALMA NORICORUM ALTDORFFINA

Ad diem IX. Menſis Decembr. AN. M. DC. LXXIV.

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

AUTOR

CHRISTIANUS FRIDERICUS Stromer/

Weiſſenfelsâ-Miſnicus.

ALTDORPHI

Typis Johannis Henrici Schönnerſtædt.

Biblioteca Nazionale Napoli V. E.

VIRO

Magnifico, Nobiliſſimo atq; Excellentiſſimo,

DN. CASPARO ALEXANDRI,

JCto Illuſtri,

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

RUDOLPHI AUGUSTI,

Ducis Brunſuicenſis ac Lüneburgenſis &c. &c.

Cancellario eminentiſſimo & Conſiliario intimo ſplendidiſſimo,

Patrono & Promotori ſuo gratioſo, ſummâ animi ſubmiſſione atatem venerando;

Ut &

Nobiliſſimo, Strenuiſſimo ac Prudentiſſimo

DN. JACOBO PHILIPPO Stromern

à Reichenbach/ Inclutæ Reip. Norimb. Senatori graviſſimo,

Evergetæ ſuo Maximo, nullo non obſervantiæ cultu honorando,

Quin etiam

Nobiliſſimo, Conſultiſſimo atq; Excellentiſſimo

DN. ACHILLI DANIELI LEOPOLDO, Lubecenſ. J. U. Doctori famigeratiſſimo,

Mæcenati & Fautori ſuo, ut jugiter, ſic perpetim colendo,

Hoc, quicquid eſt Exercitii Academici, in ſtudiorum ſuorum commendationem & ulterioris benevolentiæ incitamentum, ſacrum eſſe cupit

AUTOR.

Patroni Optimi Maximi!

MAteriam in theoria perquàm celebrem & jucundam, in Foro frequentiſſimam pariter ac utiliſſimam elaborandam ſuſcepi. Nam cum interſit Reip. Fiſcum bonis abundare, cauſas, ex quibus illa acquiruntur, cognitas eſſe oportet; Jam verò maxima iſtorum modorum eſt varietas, ut qui omnes certis cancellis ac ſeptis conſtringere conantur, Syſiphi ſaxum volvere videantur. Idcircò ſingularia quædam duntaxat Jura, quibus, citra exactionem contributionum, fiſcus locupletari ſolet, quæque in Corpore Juris Civilis ſpectantur & conſiderantur, adjecto ubicunque uſu practico, delibare ac ſub diſputationis incudem vocare apud animum conſtitui. Ut autem ſubmiſſam erga Vos voluntatem meam & obſervantiam conteſtarer publicè, theſes

præſentes vobis dedicatas offerre volui. Admittite itaque quæſò pro veſtra humanitate placidè ſymbolum hoc euchariſticum, à devotiſſimo animo profectum, meque ad quævis officia devinctiſſimum, porrò affectu & patrocinio Veſtro proſequi non dedignemini. DEUS vos quam diutiſſimè ſoſpites ac florentes conſervet. Valete. Altdorffi d. 1. Decembr. 1674.

NOMIN. VESTR.

omni

obſequio

&

cultu

deditiſſimus

Chriſtianus Fridericus Stromer/

C. B. D.
Præparatio.

§. 1.

DElineaturo Actus fiſcales operæ pretium eſſe arbitror, in anteceſſum paucis declarare, unde derivetur Fiſcus, quomodo deſcribatur, & quinam jura fiſcalia exerceant. His enim ſimul cognitis commodiùs de argumento hoc judicari poterit. Originem itaque vocabuli Fiſci ſi introſpicimus, non una ejusdem eſt etymologia. Nonnulli enim derivant à fixo ſeu firmo, quod ſemper fiſcus præſumatur ſtabilis, dives ac ſolvendo *l. 2. in fin. ff. de fund. dotal.* nonnulli à ferendo, alii exiſtimant vocem eſſe Germanicam, alii denique à Foveo denominari putant; rectius tamen vox fiſci deducitur à fiſcis ſeu ſportulis, quibus pecunia publica recondi ſolebat, quod etiam facit *Ludvvell. Exercit. X. th. 5. pag.* 181. conf. *Peregrin.* 1. *de Jure Fiſci tit.* 1. *n.* 34. *ſeqq.*

§. 2.

Definitionem quod attinet, Fiſcus, ex mente *Dn. Joh. Brunnemanni in Comment. ad Cod. lib. X. tit.* 1. *pag.* 856. ſecuti *Peregrin. d. tit. n.* 2. eſt Camera regalis, in qua recipiatur id, quod ad commodum pecuniarium Imperii pertinet; ſeu breviter, Fiſcus eſt repoſitorium publici theſauri. Ad hunc enim, in genere ſumto vocabulo, omnis pecunia ad uſus publicos deſtinata refertur, *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc.* 50. *th.* 32. Et conſuetudo obtinuit, ut pro publica Impe-

ratoris pecunia nomen fiſci uſurpatum fuerit, continens ſcilicet pro contento, per Synecdochen, *vid. Joh. Schneidevvin. Comment. in Inſt. lib. 3. tit. 1. pag. 333* & *Tholoſan. 31. Syntagm. cap. 31. n. 1.* Quanquam autem fiſcus olim ab ærario diſtinguebatur; quippe qui erat pecunia Principis ſive Imperatoris privata; ærarium verò pecunia publica & Imperii ſive Populi & Reipublicæ, uti evincit, docetque *Duarenus ad tit. ff. de jur. fiſc. cap. 1.* conf. *Plin. Panegyr. ad Trajan. cap. 36.* ſub Principibus tamen hæc diſtinctio in deſuetudinem abiit, qui, juribus Populi cum ſuis confuſis, confuderunt quoque fiſci & ærarii appellationem; ſiquidem in jure noſtro fiſcus quandoque pro ærario & ærarium pro fiſco accipitur, uti apparet ex *l. fin. C. de quadrien. præſcript. l. 13. pr. de Jur. Fiſc l. 1. §. 9. ad L. Cornel. de Falſ.*

§. 3.

Quibus verò jus exercendi actus fiſcales competat, valdè intricatum ac controverſum eſt. Plerique exiſtimant, ſolum Imperatorem propriè habere fiſcum & conſequenter etiam confiſcationem; rationem reddit Natta *Conſ. 549. n. 21.* quia confiſcatio de maximo mero Imperio & de reſervatis Principis. Et hoc etiam verum eſt, de Jure Romano & quoad Imperium Romanum antiquius per *l. 1. C de bon. vacant.* Extra verò illud & in Rebuspublicis aliis quin hoc quoque jus habeant Reges, domini ac Civitates liberæ & populi, qui ſuperiorem non recognoſcunt, non poteſt dubitari ab eo, qui vel leviter ſanioris Politices principia deguſtavit, & in Hiſtoriis non planè hoſpes eſt ac peregrinus. Idem dicendũ de Electoribus, Epiſcopis (quatenus non ut Eccleſiaſtici, ſed ut Principes & Status Imperii conſiderantur) Ducibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus Imperii & Nobilibus immediatis, qui omnes hoc jure gaudent,

dent, vi à Sacra Cæſarea Majeſtate conceſſæ Superioritatis Territorialis, uti quoad Civitates Imperiales publicâ Imperii ſanctione *in Inſtrum. Pacis Cæſar. Suecic. art. 8. §. 4.* expreſſè repetitum invenitur. *vid. Heinric. Hahn. ad Weſenb. lib. 20. tit. 3. n. 5. & Dn. Chriſtoph. Philipp. Richter. part. 2. deciſ. 35. n. 4. pag.* 291. Imò moribus eò plerumque deventum eſt, ut idem jus quoq; competat, vel ex privilegio, aut immemoriali conſuetudine, Civitatibus provincialibus ſeu municipalibus & aliis merum imperium habentibus, *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc.* 50. *th.* 33. Quod quidem negat *Erneſt. Cothmann. Vol. 2. Conſ. 55. n. 42. & M. Antonius Peregr. de Jur. & Privil. Fiſc. lib. 1. pag. 19. n. 70.* exempli loco adducens Civitatem Paduam, quæ ſubeſt Reipublicæ Venetæ & hodiernis temporibus jura fiſci non habet; attamen horum rationes, ex antiquo Imperii noſtri Statu plerumq; depromptæ, ad ſtatum præſentem per omnia non quadrant; ſiquidem non amplius Civitatum & municipiorum tam tenuis & abjecta conditio noſtro ævo conſpicitur, quæ olim fuit; ſed conſuetudine Germaniæ ſic ſervatur, ut ubi pœna ex lege eſt bonorum publicatio, quævis Civitates, quibus jurisdictio omnimoda ſeu criminalis competit, eam irrogent & publicata percipiant. *vid. David. Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 2. art. 4.* Cui imprimis adſtipulatur Praxis forenſis Saxonica, juxta quam plerique Judices & Magiſtratus, item Respublicæ, quæ merum imperium habent, etiam Jure Fiſci, præſcripto quodam inveteratoque more, utuntur. *Weſenb. Paratit. lib. 49. tit. 14. pag.* 793. conf. tamen omninò *Mev. part. 3. deciſ.* 101. *& part. 4. dec.* 66. Nam prolixius de his disſerere, in rem fore non credo, quare ipſos Actus Fiſcales certo ordine exponere juvat. Sit itaque

THES. I.

§. 1. Multi in jure noſtro occurrunt Actus Fiſcales, quoniam cauſæ, ex quibus fiſco acquiritur, variæ ſunt, uti

inquit,

inquit text. in *l. 1. ff. de jur. fiſc.* In his verò (præterquam ſi in teſtamento vel qualibet alia ultima voluntate fiſco quid adſcriptum fuerit) principem fermè locum obtinet APPREHENSIO BONORUM VACANTIUM, apud Gothos quoque, Italiâ potitos, imitatione & prætextu LL. Romanarum, in uſum recepta, uti diſcimus *ex Theoderici Epiſtolis apud Caſſiod. lib. 5. Epiſt. 24. & lib. 6. Epiſt. 8.* Nam ſivè quis fecit teſtamentum, ex eo tamen hereditas adita non fuit, vel adiri non poteſt, ſivè inteſtatus decedit, nullumq; ex qualibet ſanguinis linea vel juris titulo legitimum reliquit heredem vel bonorum poſſeſſorem, bona ejus fiſco addicuntur *l. 64. ff. de verb. ſignificat. l. 1. 4. & ult. C. de bon. vacantib. l. 1. §. 2. ff. de jur. fiſc.* excluſis affinibus *l. 7. C. comm. de ſucceſſ.* quicquid etiam dicat *Accurſ. ad §. mariti. 8. verb. poſteà. I. de nupt.* & *Bald. ad l. 1 C. unde vir.* vid. *Tiraq. de retraict. lign. §. 14. Gl. 2. n. 19. & tract. le mort. pars 2. declar. 15. n. 2. ſeqq.* nutritoribus *l. 10. C. comm. de ſucceſſ.* & tutoribus *arg. d. l. 10.* non obſtante *l. 73. pr. de R. J.* quâ nonnulli in contrarium moventur; *vid. Anton. Gomez. in l. Tauri. 8. n. 24.* etiam ſociis & conſortibus ſive Collegiis defuncti, exceptis iis, quibus in certis caſibus ex ſpeciali privilegio hereditas Collegæ defertur, de quibus *in l. 1. l 3. & t. t. C. de hered. Decur.* Extendunt equidem hoc ipſum *Tiraq. d. tract. le mort. part. 2. declar. 15. n. 6.* & cum eo nonnulli alii ad quævis collegia licita; ſed contra juris rationem & regulam, quæ eſt in *l. 14. de LL. §. 6. J. de J. N. G. C.* & quod aliàs quinq; illa corpora Impp. fruſtrà ſpeciatim nuncupaſſent; *vid. Peregr. lib. 4. d. tract t. 3. n. 11. ſeqq. Gvil. Ranchin. de ſucceſſ. ab inteſtat. §. 22. n. 4.* & *Brunnem. ad d. l. C. de heredit. Decur.* non verò Viro & Uxore *l. un ff. unde Vir. & Ux.* quia ſcilicet inter Conjuges omnis Vitæ conſortium eſt, & divini ac humani juris communicatio *l. 1. ff. de ritu nupt.* & licet

ſan-

ſanguine ſibi non jungantur, naturæ tamen conveniens eſt, & ex affectione conjugali orta hæc ſucceſſio; ſiquidem affectio Conjugum principium & origo eſt omnis cognatitiæ ſucceſſionis. *vid. Dn. Joh. Philipp. in uſu pr. ad Inſt. lib. 3. Ecl.* 35. Tum demum verò fiſci jus incipit, quando diligenti inquiſitione factâ, præmiſsâque publicâ proclamatione, nullus legitimus, idoneusque ſuccedere heres comparcat; *Henning. Arniſ. Tom. II. l. 3. c. 6. p.* 422. Et bona non niſi causâ cognitâ per ſententiam declarantur vacantia & fiſco adjudicantur. *Dom. Arum. diſc.* 31. *th.* 5. *pag.* 931. Nam quamdiu ſupereſt heres, injuriâ hereditatem fiſcus ſibi arrogat. Et quidem hodiè, ſublatâ differentiâ agnationis & cognationis, omnes tam agnati quam cognati, excluſo fiſco, in infinitum admittuntur per *Nov.* 118. *c.* 3. Diſſentit quidem hic Peregrin. *d. tr. n.* 3. & alii, quos allegat *Herm. Lather.* 3. *de Cenſu c.* 1. *n.* 10. & ſucceſſionem Collateralibus ad decimum tantum gradum indulgent, per *§. f. I. de ſucceſſ. cogn.* conſ. *Carpz. J. F. R. S. p.* 3. *Conſt.* 18. *defin. ult.* ſed cum Imp. in d. *§.* non terminum, intra quem ſucceſſio cohibeatur, præfinire voluit, & exempli tantum cauſa decimi gradus mentionem fecit, atque oppoſitivè ad cognatos, quos ad ſextum usque gradum à Prætore vocatos fuiſſe conſtat, ita locutus eſt, ut ſenſus ſit: quanquam cognati, quibus Prætor dat bonorum poſſeſſionem, ad ſextum duntaxat gradum ſuccedant, attamen agnationis jure ulterius admittuntur, etiamſi ſint decimo gradu; ille quidem *§.* à noſtra & in foro receptiore opinione nos dimovebit nullatenus. *vid. Bachov. ad d. §.* & *Bocer. de Regal c.* 3. *n.* 30. Notandum quoq; inſuper, quod fiſcus teneatur, poſt agnitionem bonorum, creditoribus pro viribus rerũ hereditariarum præſtare legata & fideicom̃iſſa ſecundum text. *in l.* 11. *ff. de. jur. fiſc. & l.* 9. *ff. ad SC. Silan.*

§. 2. Quando verò contingit, ut defunctus bona in diverſis territoriis poſſideat, fiſco in loco domicilii cedunt immobilia ibi ſita, & omnia mobilia ubicunque ſint; modò ad alium locum non ita ſint deſtinata, ut ibi perpetuò maneant *l. 35. §. 3. de hered. inſtit.* conf. *l. 242. §. fin. de V. S. l. 17. §. 7. de A. E. V. Hering. de Molendin. qv. 8. n. 23. Mev. ad Jus Lubec. quaſt. prælim. 6. n. 20. ſeqq.* immobilia, alibi ſita, fiſco illius loci acquiruntur. *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 50. th. 35.* Hac occaſione movetur quæſtio, an Princeps bona Vaſalli ob generationem finitam ſeu extinctionem familiæ fiſco adſignare poſſit? Et reſpondetur affirmando propter jus conſolidationis & caducitatis. Sic hoc ipſo ſeculo anno 1626. poſt obitum Franciſci Mariæ, ultimi ex familia Roboræa, Papa Ducatum Urbini, tanquam feudum Eccleſiæ, ad ſe recepit; *vid. Georg. Horn. Orb. Polit. part. 2. pag. 7.* Sic Rudolphus I. Imperator Auſtriam jure feudali ad Imperium ſpectantem, ſuoque tempore legitimo herede deſtitutam, Imperio vindicavit, & filio Alberto conceſſit. *Ibidem part. 1. pag. 7.* Sed hæc poteſtas Imperatoris liberè diſponendi de Principatibus Imp. vacantibus poſteà admodum reſtricta fuit. Cùm enim poſt obitum Maximiliani I. deprehenderetur, Imperii dignitatem ſufficientibus reditibus non eſſe munitam, id concluſum eſt, ut feuda vacua in poſterum reſerventur alendo Imperat. Quamobrem non ſolum in Capitulatione Caroli V. ſed & omnium ſequentium Imperatorum expreſsè cautum eſt, ne Imperator feuda Imperio aperta, ſi magni momenti exiſtant, ut ſunt Principatus, Comitatus, Baronatus, & conſimilia, alicui deinceps largiatur, ſed in uſum & neceſſitatem S. Imperii vertat, reſervet & incorporet. *vid. Martin. Rumelin. part. 1. differtat. 7. ad A. B.*

pag.

*pag.*161. Contrarium tamen ſæpè obſervatum fuit; conſtat enim, ipſum Carolum V. Ducatum Mediolanenſem, Imperio anno 1535. per mortem Franciſci Sfortiæ apertum, filio ſuo Philippo II. Regi Hiſpaniarum conceſſiſſe.

§. 3. Quibusdam in locis res quædam ex hereditate, etiam extantibus conſanguineis defuncti, ſemper fiſco præſtandæ. *vid. Beſold. Theſaur. Speidel. Specul. Wehner. obſerv. in voce* Haubtrecht / *& ibi allegat. al.* De Jure Saxonico, ſi fœmina moritur, deficientibus cognatis fœminini ſexus, tam ex linea recta, quam transverſali, in Gerada ſuccedit judex, cui competit plenum jus fiſci; *gloß. ad text. latin. in art.* 28. *lib.* 1. Landrecht. excluſo marito, filio, vel fratre vel aliis agnatis fœminæ defunctæ. *vid. Schneidevv. lib.* 3. *tit.* 1. *pag.* 336. Simili modo ſi maſculus decedat, & non relinquat agnatum, tunc licet habeat cognatum, tamen res expeditoriæ, das Heergeräthe / non ad cognatum, ſed fiſcum ſeu eum, qui ſupremā jurisdictionem habet, der die Ober- und Hals-Gerichte hat / transmittitur, *vid. Dn. Carpzov. def. for. part.* 3. *Conſt.* 38. *def.* 21. *pag.* 1274. Imo occupat quandoq; fiſcus Geradam, ſi cognata proxima per præſcriptionem hoc jus amittat, non petendo, ſi ſciverit, intra annum & diem, in einem Jahr / 6. Wochen / 3. Tagen / *vid. Sigismund. Finckelthuſ. obſerv.* 81. *pag.* 620.

§. 4. Quæ hic de vacante hereditate & bonis ἀκληρονομήτοις diſponuntur, ab JCtis extenduntur ad omnia bona, quæ dominum non habent, ſeu quorum dominus latet, & ob id ἀδέσποτα vulgò dicuntur. Hinc de Jure Saxonico, ſi res amiſſa ſit, & dominus per publicam proclamationem citatus, ut rem ſuam, probato prius dominio, repetat; elapſo verò tempore, quod præfigi ſolet, nemo appareat, poſtulans rem inventam, duæ partes fiſco, tertia inventori ce-

 dit,

dit, juxta Landr. *lib. 2. art. 37. vid. Dn. Carpz. part. 3. Conſt. 31. def. 18 pag. 1225. Dn. Struv. Juriſpr. Rom. Germ. For. lib. 2. tit. 1. th. 64. pag.* 80. & *Dn. Philipp. lib.* 11. *Ecl.* 21. Exinde tamen non approbandum jus, neſcio quod, naufragii, quod Galli Varech, Germani Fahr-Recht / Grund-Ruhr / Strandt-Recht / potius Strandt-Unrecht / Angli communiter Wreckum vocant, quo populi nonnulli res naufragio perditas, ubi littus appellunt, more oppidò barbarò & inhumaniſſimo, in fiſcum ſuum ſtatim redigunt, ſecundum illud Poëtæ: Res fiſci eſt, ubi natat. *vid. Arniſ. de jur. Maj. c. 6. pag.* 423. Qualis conſuetudo à Paulo Matthia Wehnero *in obſerv. ſuis voc.* Gewohnheiten / meritò inter corruptelas numeratur; reprobata etiam expreſſè in Ord. Crim. *art.* 218. & anteà à Frid. II. *in auth. navigia. C. de furt.* adeò, ut etiam conſuetudinem contrariam introduci non poſſe, Dd. paſſim doceant; *Stamler. de Servit. perſon. l. 3. c. 8. n. 21. Ant. Scapp. de Jure non-ſcriptò lib. 5. c. 155. num. 19.* Et affirmat Andr. Gail. *in obſerv. pract. lib. 1. obſerv. 18. pag. 36.* quòd à Camera in cauſa Conſulum Civitatis Hamburgenſis contra Duces Holſatiæ mandata ſine clauſula decreta fuerint de reſtituendo ejusmodi bona. Etenim qui levandæ navis & ſalutis cauſa res aliquas in tempeſtate projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant, quippè, ſi invenerint, ablaturi: &, ſi ſuſpicati fuerint, in quem locum ejectæ ſint, requiſituri, ut perinde ſit, ac ſi quis, onere preſſus, in viam rem abjecerit, mox cum aliis reverſurus, ut eandem auferret *l. 2. §. ult. l. 8. ff. de Leg. Rhod.* Hinc manent dominorum, &, ſi fortè ad littus expulſæ fuerint, ſine furti crimine à quopiam lucrandi animo apprehendi atque detineri non poſſunt, *§. fin. J. de rer. diviſ.* Et rectè confitetur & ſtatuit Imp. Conſtantinus *in l. 1. C. de naufr. Si quando,* ait, *naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat,*

ticat, fiſcus meus ſeſe non interponat. Quod enim jus fiſcus habet in aliena calamitate, ut de re tàm luctuoſa compendium ſectetur? Idem continetur *in d. auth. navigia C. de furt.* Quare etiam in aliis locis domino reſtituuntur, ſi intra annum & diem petat: Sin verò intra illud ſpatium non repetat res ſuas, tunc demum fiſco addicuntur. *Dn. Joh. Erneſt. Noricus in additam. pract. ad Comm. Vinn. Inſt de rer. diviſ. § fin.* conf. ſi placet, *Mindan. 2. de Mandat. c. 57. Loccen. 1. de Jur. Mar. cap. 7. §. 9. & Dn. Strauch. de Imp. Mar. c. ult. th. ult.*

THES. II.

Nunc conſiderare lubet, quomodo fiſcus aliàs lucrum capiat ex aliorum bonis. Et (1.) quidem quantumvis peregrinis & advenis, qui alioquin de Jure Civili neque teſtamenti factionem paſſivam *per l. 6. §. 2. ff. de hered. inſtit.* & *l. 1. C. eod.* neque activam habebant, cùm nec Jus Civitatis Romanæ ipſis competebat *l. 8. l. 12. ff. qui teſtament. fac. poſſ.* Imperator Fridericus teſtari permiſerit *auth. omnes peregrini. C. com. de ſucceſſ.* in Gallia tamen adhuc viget JUS ALBINAGII, quod rectiùs Advenari Jus dici, cùm advenarum hereditatem concernat, putat *Dn. Brunneman. Comm. in Pand. ad lib. 11. tit. 11. l. 3. p. 671* Jus ſcilicet, quô abdicatâ peregrinis omni teſtamenti factione, in bona eorum, quaſi vacantia, excluſis juſtis & legitimis heredibus, Fiſcus ſuccedit. Sunt enim Albini, quaſi alibi nati, extra fines Regni Franciæ, qui tanquam peregrini non poſſunt regnicolæ fieri, etiamſi longo tempore regnum incoluerint: nec beneficia in illo obtinere, nec pariter de acquiſitis diſponere in propinquos, ſed omnia eorum bona, tanquam vacantia, his mortuis, in fiſcum Regis rediguntur, niſi regio diplomate (quod literas naturalitatis vocant) efficiantur regnicolæ, ſie ſeynd dann naturaliſiret worden / vel ex iis populis ſint, qui civitatis Gallicanæ privilegia ſunt indepti,

quales

quales ſunt Flandri, Arthefii, Brabanti, Hañonienſes, Hollandi, Namurcenſes, & quicunque per pacem Madritenſem Albinatu ſunt exempti, *vid. Gudelin. 5. de Jur. Noviß cap. 10. n. 12.* quo caſu omnibus gratiis, commodis & favoribus potiuntur, quibus cives in Gallia orti. *vid. Joh. Jac. Speidel. Spec. Jur-Polit-Philol-Hiſtor- obſerv. verb. Albinagium pag. 47.* & *Arniſ. de Jur. Maj. c. 6. pag. 423.* Idem Jus Epiſcopo Monaſterienſi in Germania, quantum ad peregrinos in Civitate decedentes attinet, competere refert *Dn. Beyer. ad Schnob. Dip. 25. th. 18. pag. 751.* Jure tamen retorſionis nobis ſalvô. Si itaque apud nos moriatur peregrinus & ejus provinciæ accola, in qua noſtris nulla ſucceſſio datur, bona ejus, quamvis habeat aliàs heredes, ob illud jus retorſionis viciſſim fiſco deferri poſſe, rectè judicat *Dn. Brunneman. Com. in Pand. ad lib. 49. tit. 14. l. 1. pag. 691. arg. t. t. quod quisq. jur. in alt.* Non aliter ac quemadmodum de Jure Saxonico ſuccedit Magiſtratus loci in Gerada, ſi cognata quidem ſit ſuperſtes, ſed vivat in alia provincia e. g. in Marchia, ubi Geradæ jus non uſurpatur; paria enim ſunt heredem non extare, aut extare quidem, ſed incapacem. Nec exteri habent, quod conqueri poſſint, cur eis denegetur hereditas, ſiquidem & ipſi nec noſtris eandem percipere permittunt. *vid. Sigismund. Finckelth Obſervat. 81. pag. 620. Thoming. decif. 26. Carpzov. p. 3. c. 38. d. 1. & ſeqq. Struv. de vindict. privat. th. 61. 75. ſeqq.*

THES. III.

§. 1. Pertinent huc (2) DEPORTATI, h. e. qui in inſulam vincti deferebantur, perpetuò eo loci condemnati, finibus circumſcriptis, ſub pœna amputationis capitis, ſi inde excederent *l. 4. l. 28. §. 13. ff. de pœn.* quæ pœna ſucceſſit in locum interdictionis aquæ & ignis *l. 2. §. 1. ff. eod. l. pen. §. ult. ff. de extraord. cognit. l. 3. ff. ad L. Jul. pecul.* cujusque

con-

conditionis etiam erant damnati in opus publicum *l. 1. C. de pœn.* Hi enim & (3.) omnes Damnati Ad Ultimum Supplicium jure veteri non ſolum omnia juris beneficia amittebant *l. 17. §. 1. ff. de pœn.* ſed etiam bona eorum, tam præſentia quam futura *l. 2. C. de bon. proſcript.* ſtatim poſt condemnationem publicabantur & confiſcabantur, uti conſtat ex tot. tit. & imprimis *l. 1. ff. de bon. damnat.* ubi JCtus Calliſtratus ſcribit: *damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut civitas, aut ſervilis conditio irrogatur.* vid. *Joh. Jac. Wuſenb. diſp. XV. ad reg. Jur. th.* 4. *pag.* 164. ſed hoc *per auth. Bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* & *Novell.* 134. *cap. ult.* planè ſublatum eſt, ita, ut, excepto crimine Perduellionis & Hæreſeos, hodiè bona damnatornm non publicentur, ſed deſcendentibus & aſcendentibus & collateralibus usque ad tertium gradum relinquantur *d. auth. & Nov.* 134. & his deficientibus tùm demum bona confiſcentur; *vid. Dn. Stryck. Prof. in Acad. Francofurt. Diſp. de differ. jur. Vet. & noviſſ. Dec. ult. th. 6. B. Dn. Ludwell. de diverſ. reg. Jur. antiq. pag.* 311. *& ſeqq.* Cum iniquum videatur, extra crimen læſæ Majeſtatis, quippe delictum graviſſimum & atrociſſimum, damnatorum bona omnia fiſco applicari, liberis innocentiſſimis ad mendicitatem redactis, *Dn. Philipp. lib. 1. Ecl.* 34. *pag.* 116. Quare hodiernis moribus omnes cognati & agnati in infinitum admittuntur ad bona damnatorum; *Struv. Exerc.* 49. *lib.* 28. *tit.* 20. *th.* 106. *pag.* 984. Et quicquid etiam ſit de jure Civili, certè *per Conſt. Crim. Carol. V. art.* 218. abolitam publicationem bonorum in Germania, extra crimen Perduellionis, volunt *Dn. Brunnem. Comm. in Cod. lib. 9. tit. 49. ad auth. bona damnat. pag. 853. ſeqq. Dn. Rem. ad art. 218.* & *in ἐπιθάγμ. 3.* (videndus tamen etiam *Petr. Heig. part. 2. qv. 33. n. 51. ſeqq.* & *Theodoric.* 10. *Criminal. aphor. 6. n. 15. ſeqq.*) quod etiam in foro Saxonico

obti-

obtinet *per Conſt. Elector. 6. vid. Carpz. Prax. Crim. part. 3. qv. 35. pag.* 286. ſicuti etiam uſu hodierno (nam jure communi ſecus) damnati ad mortem teſtamentum condere poſſunt; *Dn. Struv. Exerc. 32. lib. 28. tit. 1. th. 8. pag. 209.* conſ. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. D. 10. th. 2 lit. H.*

§. 2. Interim licet Dn. Sigiſm. Finckelthuſ. *obſerv.* 43. *pag.* 334. quempiam, præter mortis ſupplicium, ad confiscationem bonorum condemnatum, præterquam in Crimine Majeſtatis, ſe non meminiſſe confiteatur; licet etiam Boër. *Deciſ.* 264. *n.* 15. ſcribat: *communiter totus mundus ſervat, quod bona non confiſcentur in aliquo caſu, excepto crimine hæreſeos & læſæ majeſtatis*: attamen in Gallia bona damnatorum confiſcari, ex Galliæ JCtis refert *Weſenb. in paratit. ff. de bon. damnat.* In Regno Scotiæ non ſolum liberi, parentes, aliique ſanguine delinquenti juncti, à bonis ejus omninò excluduntur, ſed etiam creditoribus debiti ſolutio denegatur, affirmante *Renato Choppin. lib. 1. de domanio. Reg. Franciæ. c. 7. n. 15.* Et in ſpecie de Regno Angliæ aſſerit *Arniſ. de Jur. Maj. c. 6. n.* 16. quod ibi, qui ob quodcunque ſcelus perdat vitam, perdat & bona. Sed hæ ſpecies conſuetudinum apud nos reprobatæ, & rectiſſimè *d. art. Ord. Criminal.* abrogatæ ſunt. *vid. Wehner. obſerv. voc.* Gewonheiten.

THES. IV.

Ex hactenùs dictis patet, quid dicendum de iis, qui SIBI IPSIS MORTEM CONSCIVERUNT: Nimirum ſi deprehenſi in aliquo delicto, aut de eo poſtulati, metu criminis imminentis, ante ſententiam ſuper crimine, pro quo bona publicantur, ut læſæ Majeſtatis, mortem ſibi conſciverint, bona eorum ad fiſcum devolvuntur *l. 3. §. 3. ff. de bon. eor. qui ante ſent.* Nam ſi confiſcatio in delicto commiſſo locum habet, etiam poſt mortem delinquentis durat, ad hunc ſcilicet effectum, ut ad confiſcationem bonorũ & fructuum

inde

inde perceptorum contra heredes agi poſſit; *Dn. Carpzov. Prax. Crim. qv.* 141. *pag.* 340. niſi hi innocentiam defuncti probent *l.* 3. *§. fin. ff. de bon. eor. qui ant. ſent.* & *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.* ſi verò manus violentas ſibi intulerint doloris impatientiâ, tædio vitæ, æris alieni pudore, vel iſto crimine nexi fuerint, ex quo bona non eſſent publicanda, fiſcus non ſuccedit, ſed conſanguineus & legitimus ejus heres *l.* 5. *§.* 1. 2. *ff. de bon. eor. qui ant. ſent. l.* 1. *&* 2. *C. eod. l.* 2. *qui teſt. fac. poſſ. Ord. Crim. art.* 135. *ibiq. Commentat.* Sic etiam jus Saxonicum dicit *art.* 31. *lib.* 2. Landr: wer von Gerichts halben ſeinen Leib verleúret/oder wer ihm ſelber den Tod anthut/ſein nechſter Erbe nimmt ſein Gut. *vid. Schneidevv. lib.* 3. *tit.* 1. *pag.* 335. *Dn. Struv. Exerc.* 31. *lib.* 28. *tit.* 1. *th.* 8. & *Exerc.* 49. *tit.* 21. *th.* 107.

THES. V.

§. 1. Videbimus jam etiam, quid ſentiendum hac in re de BANNITIS Imperii? Hi ſcilicet omnia omninò jura Civilia amittunt, pro mortuis habentur, & bona eorum fiſco cedunt; *Ord. Cam. part.* 2. *tit.* 8. 9. Et hôc Banno puniuntur Violatores pacis publicæ. *vid.* latè *Gail. de pac. publ.* Nam etſi ex cauſis etiam Civilibus reus ob inſignem contumaciam in Camera Imperiali in bannum declarari conſueverit. *Ord. Cam. part.* 3. *tit.* 43. *§.* 1. recentiori tamen Imperii Conſtitutione de anno 1654. *§.* würde hierauff nun. 36. bannum ob contumaciam ſublatum eſt, quod frequentia ejus illud faceret vileſcere, nec exequendi difficultas ſineret, cuilibet cauſæ applicari, ipſumque delicto plerumque gravius eſſet: conf. *Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib.* 4. *tit.* 17. *art.* 1. *ad n.* 5. *pag.* 134. Exceptio eſt *in Receſſu Deputat. de ann.* 1600. *§.* in den Fall. 102. quoad tutores & curatores contumaces, per dictum Receſſum *de ann.* 54. non correcta, conf. *Concept. renovata Ordin. Cameral. part.* 3. *tit.* 52. contra quos,

C ob cau-

ob cauſas ibi commemoratas, non in cauſa principali, ſed vel ad bannum, vel ad immiſſionem bonorum pro qualitate cauſæ ex primo decreto procedi poteſt.

§. 2. Bannum autem eſt duplex, generale, quod à Cæſare, vel, ſuæ Majeſtatis nomine, à Camera Imperiali irrogatur, & ab imperatore bannitus, des heil. Reichs Echter/ ubique terrarum in Imperio pro bannito reputatur. Speciale, quod ab inferioribus Principibus, Comitibus, aliisq; Statibus Imperii delinquenti irrogatur. Idque ultra eorum territoria non extenditur, *Carpz. Prax. Crim. part. III. qu. 140. pag. 330.* & *Paul. Matth. Webner. obſerv. voc.* Acht. Et jure Saxonico talis Proceſſus Banni contra delinquentes, qui fugâ ſibi conſulunt, formatur: Conſtituitur nimirum Fiſcalis, qui libellum accuſatorium in judicio proponit, & proceſſum banni inſtitui petit, citatur deinde reus in tribus territoriis edictaliter; ſi non compareat, accuſatur ejus contumacia à fiſcali, & ad collegium Juridicum Acta transmittuntur, ſententia dictatur, ut iterum ſub pœna contumaciæ reus citetur. Eo iterum non comparente, iterum contumacia ejus accuſatur, ac rurſus à Collegio Juridico ſententia fertur: ut tertia vice, bey Straff ungehorſams biß auf Ehehafften / citetur. Quod ſi non compareat, contumaciâ ejus accuſatâ, à Collegio Juridico bannum decernitur. Si poſtea intra annum nullam excuſationem attulerit, & à banno ſe non liberaverit, iterum convenientibus modis citatur, &, eo non comparente, bannum ſuperius, die Oberacht/ decernitur, per ea, quæ habet *Dn Struv. in Juriſpr. Rom. Germ For. lib. 4. tit. 19. th. 21. pag.* 423. & prolixius referuntur in den Peinlichen Sächſiſchen Inquiſition und Achts-Proceſſ/ ad mentem Carpzovii, vel ab illô ipſô, conſcriptô, *tit.* 15. *art.* 2. Et hoc bannum moribus Saxonicis confiſcationis effectum habet, *juxta*

art. 38

art. 38. *lib.* 1. Landr. ibi: Die Jahr und Tag in der Oberacht ſeyn / die urtheilet man aller Rechte loß / und verurtheilet ihnen ihr eigen und Lehen. Quod & congruit juri Civili Abſens enim delinquens, legitimè citatus, ſi intra annum non comparet, bona ejus, jam ante annotata, in fiſcum rediguntur *l.* 1. *§.* 1. *l. fin. pr. ff. de requir. reis. l.* 1. *&* 2. *C. eod.* nec refragatur *Ord. Crim. in art.* 218. quia accidit eo caſu, quo mortis pœna nondum per ſententiam reo impoſita fuit. Hinc quoniã hi pro delicto corporibus propriis non ſatisfecerunt, bonis luere pœnam coguntur, *gloſſ dict.* Landr. *lib.* 2. *art.* 31. *n.* 2. ne ſcilicet ullâ ratione cum ſalutis civilis detrimento delictum impunitum maneat. Nam ad mortem condemnatis etiam de jure Saxonico, uti ſupra dictum, bona non auferuntur. Interim talis bannitus bona recuperare nequit, etiamſi ex banno ſe eximere poſſit, *per text. in art.* 38. *§. fin. lib.* 1. Landr. & *l.* 2. *C. de requir. reis. vid. Dn. Carpz. Prax. Crim. part.* 3. *qu.* 135. *pag.* 289.

THES. VI.

§. 1. Qui Crimen Læsæ Maiestatis Seu Perduellionis committunt, ultimo ſupplicio afficiuntur *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* eorum memoria poſt mortem damnatur. *l.* 6. *§.* 3. *C. eod.* & omnia bona, ante vel poſt perpetratum ſcelus acquiſita *l.* 2. *C. de bon. proſcrips.* fiſco cedunt *l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *& ult. C. ad L. Jul. Maj.* imò filii & parentes à ſucceſſione excluduntur *d. l.* 5. *§.* 1. *C. eod.* Et hæc omnia non olim tantum recepta fuerunt, uti patet *ex Tac.* 6. *Ann. c.* 2. *n* 1. quando dicit: *Atroces ſententiæ dicebantur in effigies quoq; ac memoriam ejus, & bona Sejani ablata ærario, ut in fiſcum cogerentur &c.* ſed etiam *in Ord. Crim. art.* 124. 218. *& Aur. Bull. c.* 24. repetita & confirmata fuerunt; ita enim ſonant verba *d. A. B. Si quis cum Principibus &c. ipſe quidem, utpote Majeſtatis reus gladio* (aliquando ſeveriori cum augmento *Ord.*

Crim. art. 124.) *feriatur, bonis ejus omnibus fiſco addictis: filii verò ejus, quibus vitam imperiali ſpecialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni h. e. hereditarii criminis, metuuntur exempla) à materna vel avita, omnium etiam proximorum, hereditate & ſucceſſione habeantur alieni: ex Teſtamentis aliorùm nihil capiant, ſint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullum unquam honorem, nulla prorſus ſacramenta perveniant, ſint poſtremò tales, ut his perpetuâ egeſtate ſordentibus ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium &c.* Æquum enim eſt, in eo aliquem puniri, in quo peccavit, vitamque & poſſeſſiones amittere, qui vitam & bona omnia aliis ereptum ivit *Arniſ. de Jur. Maj. c. 6. pag. 396.* ubi tamen hæc limitatio adhibenda, ne filii priventur alimentis, *Dn. Brunnem. Comm. in Cod. lib. 9. tit. 8. l. 5. pag. 803.* & bonis aliundè quæſitis, *Scip. Gentil. de Conj. lib. 1. c. 3. verb. teſtamentis. fol. 81.* nec filiæ Falcidiâ ſivè legitimâ ex bonis matris, ſivè teſtata ſivè inteſtata deceſſerit, *per Aur. Bull. c. 24.* & *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* hujusque mitigationis circa filias additur ratio ab Imperatore, quod nempè mitior circa eas debeat eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidat.

§. 2. Fiſcus autem non præfertur creditoribus damnati, nec ipſius uxori, quæ bona marito illata reperit *l. 5. §. 5. C. ad L. Jul. Maj. l. 37. ff. de jur. fiſc. l. 9. C. de bon. proſcript. l. 2. C. ne Ux. pro Marit. l. 31. ff. ſolut. matrim.* Nam fiſcus loco extranei ſucceſſoris habetur *l. 2. C. ad L. Jul. de Vi.* Quare nec admittitur ad ſucceſſionem, priusquam creditoribus & viduæ debita ſoluta fuerint; Neque enim bona cujusquam eſſe intelliguntur, niſi quæ deducto alieno ære ſuperſunt *l. 39. §. 1. ff. de Verb. ſignif. l. 11. l. 17. l. 37. ff. de jur fiſc.* idq; etiam confirmat jus Saxonicum; *vid. Carpz. Prax. Crim. part. 3. qu. 135. pag. 290.* Hinc fiſcus, quia æs damnati agnoſcit, alienum etiam ſuum perſequi poteſt *l. 1. C. de fide juſſ. l. 51. §. ult. ff. eod. l. 5. C. de bon. proſcript.*

§. 3. Per-

§. 3. Perpetratur autem hoc crimen à ſubditis, non obſtantibus, quæ *Alberic. Gentilis*, *JCtus judicii aliàs accuratiſſimi*, *5. Diſputat. ad L. Jul. Maj.* magnô conatu in contrarium adducit; ſivè ſint maſculi, ſivè fœminæ; vocabulum enim quisquis *in d. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* etiam fœminas comprehendit *arg. l. 1. l. 195. ff. de V. S.* & quod maſculinus ſexus aliàs quoque fœmininum contineat *l. 62. ff. de Legat. 3.* imò propter expreſſum text. *in l. 3. de bon. damnat.* Et quidem propriè adverſus omnes eos, qui ſuperiorem neminem præter DEUM recognoſcunt, ſed in Republica ſua ſummam, perpetuam, legibusque ſolutam obtinent poteſtatem, majeſtatisque jura proprio nomine exercent *l. 1. §. 1. l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.* ut ſunt Imperator Romanus, Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Daniæ, Sueciæ &c. imò & Pontifex Romanus, quatenus is in terris ſuis ſummam, legibusque ſolutam habet Majeſtatem, omniaque ea, quæ Monarcha, exercere poteſt; *Dn. Carpzov. Prax. Crim. quæſt. 41. part. 1. pag. 248.* Et hoc *in l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* extenditur ad Conſiliarios Regum, ſuperiorem non recognoſcentium, tanquam partes corporis; ubi tamen hoc ſemper intelligendum, ſi fiat ex odio in Principem, ut eum fido miniſtro privet & ſtatum ſubvertat, ſecus autem ſi id factum ex odio privato, poſt allegatos monet, *B. Dn. Brunnem. Comment. in Pand. lib. 48. tit. 4. ad l. 1. & duas ſeq. pag. 639.* de quo verò etiam *Jacob. Gothofred. ad l. 5. cap. 15* cum curâ videndus. Quæritur autem de Principibus Imperii noſtri, an in eos etiam committatur hoc crimen? Et de Electoribus Eccleſiaſticis & Secularibus minus dubitandum, cùm quia ſunt fulcra Imperii, Grundfeſte und unbewegliche Seulen des Reichs/ *A. B. tit. 12. ac tit. 2.* §. und dieweil &c. deſſen allernächſte Glieder/ und ein Theil des Leibes Ihr. Käiſerl. Majeſtät/ *tit. 24. pr.* cùm publica ſic definiente lege per Carolum IV. *in dict.*

A. B. tit. 24. Et hoc etiam affirmandum de reliquis Ducibus, Comitibus, Baronibus atque Statibus Imperii, communiter volunt. Si enim, *inquiunt*, crimen Majeſtatis committitur adverſus Conſiliarios, quis negare audeat, Principes, Comites, Barones, reliquosq; Status Imperii, Conſiliarios ac Senatores eſſe Cæſareæ Majeſtatis, ut qui in Comitiis Imperialibus de commodo & utilitate Imperii una cum Imperatore conſultant & deliberant; quemadmodum ex Receſſibus Imperii luculenter apparet. Quin imò hodiè Status Imperii non modò in conſilium adhibentur, ſed & in conſortium poteſtatis adſciſcuntur; *vid. Carpzov. Prax. Crim. part. 1. quæſt. 41. pag. 253. Bachov. ad Weſenb. Paratit. lib. 48. tit 4. pag. 739. Ludvvell. Exercit. ult. th. 2. pag. 334. Dn. Struv Exercit 49. lib. 48. tit. 6. th. 18. Dn. Brunnem. Comment. in C. lib 9 tit. 8. l. 5. pag. 803. & Colleg. Arg. pag. 581.* Conſpirantes tamen in necem Electorum tantùm puniri confiſcatione bonorum, juxta A. B. in crimine verò contra inferiores Principes commiſſo id non obtinere, docet *Carpzov d. qv.* 41. *n.* 8. Quibus verò modis hoc crimen committatur, & huc pertinentia alia *vid. in l. 1. ff. ad L. Jul. Maj.* & apud Scriptores in hac materia proprios, *Hieron. Gigant. Anton. Cont. Franciſc. Balduin., Alber. & Scip. Gentiles fratres; Jacob. Gothofr. & Proſper. Farinac. Oper. Criminal. part. 5.*

§. 4. Notandum verò inſuper, hic non tantùm puniri eventum, ſed etiam ſi conjuraverint ſolummodò, licet ad effectum non perduxerint, i.e. concluſerint per factionem, & quid contra Principem moliri velint, *d. l. 5. & A. B. d. tit. 24.* ibi: *eâdem ſeveritate voluntatem ſceleris quàm effectum puniri jura voluerunt.* Conſcios etiam & miniſtros conjurationis eâdem plectendos pœnâ, quâ principales; quod de conſciis iis, qui quodammodo adjuvant conſiliis ſuis conjurationem, intelligi æquitas ſuadet; *Dn. Brunnemann. Com. in Cod. lib. 9. tit. 8. l. 5. pag. 803.*

§. 2. Ad

§.5. Ad confiſcationem verò bonorum ſententiâ declaratoriâ opus eſt, utut delictum notorium fuerit; *Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 2. art. 3. pag. 122.* neque enim quis reus exiſtimatur, niſi per ſententiam prius talis declaretur *l. fin. C. de accuſ. l. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam.* nec ſtatim ut quis in carcerem ductus eſt, ſpoliari bonis debet, ſed poſt condemnationem *l. 2. ff. de bon. damnat.* Intelliguntur autem bona tantummodo, quæ in territorio Principis ſita ſunt, *Dn. Philipp. uſupr. ad Inſt. Ecl. 6 lib. 3.* Hinc juxta jurisprudentiam Lubec. perfugis ad hoſtem irrogatur publicatio omnium bonorum, ſcilicet quæ in Civitate poſſederunt, *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 2. art. 3. pag. 120* Et ſi ſubditus Principis Imperii contra Imperatorem vel Imperium delinquat, non Imperator, ſed Princeps bona Rei fiſco ſuo addicit, *vid. Martin. Rumelin. ad A. B. part. 3. diſſert. 3. theſ. 32. pag. 708. & ibi allegatos.*

§. 6. Bona feudalia verò regulariter non pertinent ad fiſcum; eſt enim loco heredis extranei *l. 3. §. 4. ff. de jur. fiſc. l. 9. ff. ad SC. Silan.* extraneus autem ſucceſſor ad feudum non admittitur. Hinc ſancitum eſt *in Ord. Cam. p. 2. tit. 9. §. 2.* quod, licet aliquis ad pœnam banni condemnatus, ejusque bona publicata fuerint, feuda tamen fiſco non applicari, ſed ad dominum, ſive antiqua, ſive nova ſint, rectô tramite reverti debeant; *vid. Joh. Buding. obſerv. Cent. 1. obſerv. 95. pag.* 119. Sed limitatur tamen hæc ſententia, ſi feudum à Principe, in quem tale crimen commiſſum eſt, conceſſum fuerit, tunc enim confiſcatur, juxta expreſſum textum *in Capitul. Ferdinandi III. art.* 28. & jure reverſionis per conſolidationem ad dominum directum pervenit. *vid. hac de re Colleg. Argent. pag. 581. Dn. Struv Syntagm. Jur. Feud. c. 15. aph 10. pag. 568. Bachov. ad Weſenb. Parat. lib. 18. tit. 20. pag. 781. & Hulderic. Euben. Electa Jur. Feud. c. 6. pag. 100.*

THES.

THES. VII.

Et hæc de Crimine læſæ Majeſtatis Politico ex L. Jul. Eſt & aliud Eccleſiaſticum, quô divina Majeſtas læditur *l. 32. §. 4. ff. de recept. arbitr. & auth. Gazaros. Cod. de haret.* In hanc delinquunt imprimis HÆRETICI *t. tit. C. de haret.* de quibus generaliter conſtitutum eſt, ut eorum bona fiſco applicentur *l. 4. §. 1. C. de haret.* adeò ut etiam contra hæreticum defunctum confiſcatione procedi poſſit, *d. l. §.* 4. nec liberi hæretici patri ullo modo ſuccedant *d. l. §. 6. & auth. Gazaros.* ſed, niſi fortaſsè exiſtant liberi Chriſtiani, fiſcus *l. 19. Cod. eod. Novell. 115. cap. ult. vid. Schneidevv. lib. 3. tit. 1. pag. 34. Carpzov. Conſt. 14. def. 10. pag.* 1048. Deinde publicatione bonorum multantur etiam APOSTATÆ, qui deficiunt à fide Chriſtiana *l. 1. C. de Apoſtat. vid. Math. Weſenb. Perioch. Feud. tit. 6. pag.* 14. quod tamen, ubi contra viventem Apoſtatam agitur, intelligendum: nam, ſi ille fatis conceſſit, hereditas ejus liberis & cognatis defertur *l. 4. C. de Apoſt. vid. Dn. Brunnem. Comm. in Cod. lib. 1. tit. 7. pag. 36.*

THES. VIII.

§. 1. Spectant huc etiam, quæ auferuntur INDIGNIS; nam & illa fiſcus capit *l. 1. l. 13. §. pen. ff. de jur. fiſc. l. 8. §. 14. ff. de inoff. teſtam. 2. F. 56.* Et ejusmodi bona appellantur ereptitia *ab Ulpian. in frag. Inſt. tit. 17.* eò, quod, licet jam aliis delata & acquiſita ſint, iis tamen rurſus, ut indignis, certis ex cauſis à Fiſco eripiantur. Indignus autem dicitur, qui vel à lege ob turpe facinus vel à teſtatore ipſo poſt teſtamentum factum indignus eo, quod in teſtamento ipſi eſt relictum, declaratur *l. 12. & tot. tit. ff. de his, quib. ut indign.* Differt ab incapaci re & nomine. Indignus enim habet teſtamenti factionem paſſivam & ex teſtamento capit, quod tamen fiſcus agendo ab eo iterum aufert, vel ab ejus-

dem

dem participatione excipiendo indignum repellit; incapax verò ſtatim ipſô jure repellitur, & quod ipſe capere nequit, aliis defertur, qui illud caperent, ſi incapaces in medio non fuiſſent, ut ſunt ſubſtituti, conjuncti, aut ab inteſtatô venientes, Fiſcô abeſſe juſſô *l. 3. de his, quæ pro nō ſcript. l. 1. C. de hered. inſtit. Peregr. 3. de Jur. Fiſc. tit. 1.* Notandum verò, teſtamentum ipſo jure eſſe firmum, nec ullo modo reſcindi poſſe, quamvis heredes ſe ex certis cauſis indignos reddant hereditate *Dn. Struv. I. R. G. F. lib. 2. tit. 22. pag.* 166. hereditatemq́ue vel legatum indigno ereptum in fiſcum redigi, cum omnibus fructibus & utilitatibus *l. 17. l. 18. pr. ff. de his, quibus ut indign l. 1. Cod. eod. l. 17. §. 2. ff. de uſur* ſiquidem & heres, à quo aufertur hereditas, non deſinit habere titulum & nomen heredis *l. 43. §. 3. ff. de vulgar.*

§. 2. Nec morte indigni fiſcus excluditur, ſed ab ejus herede vel etiam à quocunq; poſſeſſore rem aufert *l. 9. ff. de jur. fiſc.* & fiſcus, quia ſuccedit in indigni jus, omnesq́ue actiones pro re & cauſa rei ablatæ exercere poteſt, prout ille poterat *l. 8. ff. de his, quibus ut ind.* ſequitur, quod etiam res in eum transeat cum omnibus oneribus & conditionibus, prout erat penes indignum *l. 14. ff. de jur. fiſc. l. 9. ff. ad SC. Silan. l. 50. § 2. ff. de legatis I. l. 5. §. 4. & 6. ff. de his, quibus ut indign. l. 6. §. 3. ff. ad SC. Trebell.* Indigno autem excluſo per mortem vel per temporis lapſum fiſcus excluditur. *vid. Peregr. de jure fiſci lib. 2. tit. 2. pag. 62.*

§. 2. Variæ autem ſunt cauſæ, ex quibus bona alicui, ut indigno, auferuntur & fiſco vindicantur, quarum in ſpecie nonnulli 418. recenſent; *vid. Klock. de Ærario lib. 11. cap.* 138. *pag.* 1029. quas tædiosè referre animus non eſt, præcipuos tamen caſus attingam. Nam (1.) indignus eſt hereditate, qui teſtatorem occidit *l. 9. ff. de jur. fiſc. l. 18. §. 1. ff. famil. erciſc. l. 10. Cod. de indign. l. 7. § fin. ff. de bon. damn.* vel qui

 culpâ

culpâ & negligentiâ ſuâ cauſam & occaſionem præbuit, ut moreretur *l.3.ff. de indign.* non adhibendo medicum, vel imperitum, vel ei non præſtando neceſſaria ad alimenta *l.4 ff de liber. agnoſc. vid. Dn Brunnem. Com. in Pand. lib.24. tit. 9. l.3. pag.* 337. Idem etiam eſt, ſi quis interfecerit uxorem, aut liberos vel agnatos teſtatoris *l.* 18. *§.* 1. *ff. famil. erciſc.* (2.) Si heres necem defuncti non vindicaverit judicialiter, ab eo hereditas aufertur per fiſcum cum fructibus omnibus, quos & ante litem motam percepit *l.1. l.6. l.7. l.9. C. de his, quibus ut indign. l.9. l.15. & l.22. ff. ad SCt. Syllan.* (3.) Si quis prohibuerit aliquem teſtari aut coegerit, indignus illius ſucceſſione habetur *l.1. & per tot. tit. ff. & C. ſi quis aliquem teſt. prohib. l.19. ff. de indig. l.3. §. fin. ff. ad SCt. Trebell.* (4.) Is qui de certæ perſonæ futura hereditate paciſcitur, reddit ſe indignũ eâ ſucceſſione, quæ aliàs ad eum perventura erat, *Dn. Brunnem. Comm. in Pand. lib.24. tit.9. l.2. pag.* 337. Plures caſus vide apud *Peregr. de Jur. Fiſci. lib.2. tit.* 10. conf. *Georgii Obrechti Secret. Politic. tit.* 10.

§.3. Sed allegatus *Dn. Brunnem. ad l.12. d. loc.* rectè dicit: Hæc augendo fiſco inventa meritò ex parte ab Aula receſſiſſe puto. Inde tamẽ cum *Joh. à Sand. 4. def. Friſic. tit.4. def. 5. & Grönvvegen. ad tit. C. de his, quibus ut indign.* non exiſtimandum, totum hunc titulum moribus abrogatum eſſe, ideò, quod indigni hodiè pro incapacibus, iisq; relicta pro non ſcriptis habeantur; cui conſequens, ut in his non fiſcus, ſed ii ſuccedant, qui de jure vel conſuetudine ſuccedere debuiſſent, remotis incapacibus. Nam iterum benè monet *Dn. Brunnem. Com. in Pand. in pr. ad d. tit. de his, quibus ut indign.* tales Doctores de particulari ſeu provinciali conſuetudine loqui.

THES. IX.

Bona CONTRAHENTIUM INCESTAS NUPTIAS, ut & donationes propter eas, fiſco applicantur *Nov. 12. c. 1. l.*

4. C

4. *C. de inceſt. nupt. & auth. Inceſtas. C. eod.* Inceſtæ autem nuptiæ ſunt, quæ ob ſanguinis conjunctionem vel affinitatem prohibentur *l. 5. ff. de quæſt. l. ult. C. de inceſt. l. fin.* §. *ult. ff. de cond. ſine cauſa l. 38. in pr. &* §. §. *ſeqq ff. ad L. Jul. de adulter.* Liberis verò, ſi qui ſunt juſto matrimonio prognati, fiſcus præjudicium creare non poteſt, quin potius illum excludunt & bona à parentibus perdita acquirunt *l. 6. C. de inceſt. nupt. Nov. 12. c. 1. & 2.* Quod ſi nulli deſcendentium poſt tertium, aſcendentium poſt ſecundum gradum ſuperſint, tunc fiſcus ſuccedit in locum heredum *d. l. 6. C. de inc. nupt.* Quod *per c. ult. Nov.* 134. correctũ non eſt, *vid. Cujac. Rittersh. Matth. Stephani ad d. Nov. 12 Harprecht. Tom. I. pag.* 436. *& Arniſ. de jur. Maj. cap. 6. pag.* 420. Et quamvis Doctores Itali contrariam conſuetudinem opponant, illi tamen de conſuetudine Germaniæ fidem adeò indubitatam perhibere non poſſunt. Nec valet, quod in crimine inceſtus bona hactenus non fuerint publicata; cum fiendum curſu temporis non tollatur. Sed quod fiſcus ſuccedat nato ex inceſtuoſo coitu notavit deciſum *Mynſing. obſerv. 91. Cent. 3.*

THES. X.

Etiam Ex Contractu Privato fiſco lucrum venit juxta *l. 1. ff. de jur. fiſc.* his modis: (1.) Cùm fiſcus ſucceſſit in jus privati, cui pœna conventionalis debebatur *l. 6 ff. de jur. fiſc.* (2.) Si Contractus ſub pœna certa fiſco applicanda, ſi alteruter contravenerit, initus, *Schnobel. Dup.* 25. *th.* 19. (3.) Si officialis emerit ex eo officio, quod ipſe gerit; nam punitur pœna quadrupli, fiſco applicanda *l. 46. ff. de contr. empt.* (4.) Cùm venditur vel emitur res vendi ex lege prohibita: Nam ſæpè multatur emptor pretii amiſſione & rei reſtitutione & venditor quandoque in tantundem *l. 52. ff de contrah. empt. l. ult. ff. de damn. infect. l. 7. C.*

 de Agr.

de Agr. & cenſ. (5.) Si quis per Contractum fiſcum fraudaverit: nempè alienata in fraudem fiſci quoquo titulo, revocantur *l. 45. in pr. & in §. 3. ff. de jur. fiſc.* Et quidem fraudator fiſci in quærendis punitur in duplum *l. 46. ff. eod.* in quæſitis autem in quadruplum condemnatur *d. l. §. fin.* vide latè *Peregr. de Jur. Fiſc. lib. 3 tit 7.*

THES. XI.

MULCTARUM ET POENARUM etiam compendia, die Brüche/ Frevel/ Buſſen / de Jure Civili ad fiſcum pertinent *l. 5. l. ult. §. 4. C. de modi. mult.* Sunt autem hodiè ejusmodi mulctæ pecuniariæ uſitatiſſimæ, cum delicta quorumcunque hominum indies puniantur, adeò ut auxilio juris hujus fiſcalis Regem Angliæ in annuis reditibus Millionem, aut cum exceſſu quindecies centena millia coronatorum habere nonnulli ſcribant; *Klock. de Ærar. lib. 1. cap. 8. pag. 213* Et exiguntur tàm in foro ſeculari, quàm Eccleſiaſtico. Nam Epiſcopi quoque, uti in principio dictum, fiſcum habent, ac propterea etiã judices Eccleſiaſtici imponere poſſunt pœnas pecuniarias. Imprimis verò in delictis arbitrariis hæc pœna irrogari ſolet; tùm enim judex pro qualitate facti & conditione perſonæ vel carceris vel relegationis pœnam aut etiam mulctam pecuniariam eligere poteſt. Unde in Conſtitutionibus Electoralibus Sax. hæ pœnæ communiter conjunguntur, electione Magiſtratui relictâ, ut Conſtitutione 8. ibi: Verweiſung/ Gefängnüß / oder einer Geldbuſſe möchte geſtrafft und verurtheilet werden. *Carpzov. Prax. Crim. qu. 130. pag. 251.* Caſus autem quàm plures, ubi pœna injungitur & fiſco infertur, *vid. in Colleg Argent. p.* 804. Semiſſis pœnarum & mulctarum, de quibus Conſiſtorium Camerale cognovit, Imperatoris fiſco, altera pars læſo tribui ſolet; *Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 134. p. 1011.* Verùm

hodier-

hodiernis moribus mulctæ fructibus jurisdictionis fermè accenſentur. *Schnobel. Diſp. 25. th. 21. p. 592.* Cum enim jurisdictio patrimonialis eſſe cœperit, facta eſt dominii privati, & habetur ſicuti aliud quodvis prædium in commodum privatum, cujus fructus ſunt reditus illi & mulctæ, *Dn. Beyer. ad Schnob. d. loc.*

THES. XII.

§. 1. Vectigalia quoq; augent reditus fiſcales. Eſt autem vectigal, quod pro rebus Civitati invectis vel evectis publico ſolvitur, ſeu, uti loquitur *Dn. Brunnem. Com. in Cod. lib. 4. tit. 61. l. 6. p. 375. Vectigalia ſunt onera realia, quæ ob vecturam mercium fiſco penduntur.* Quæ, ſi in portu ſolvantur, dicuntur portoria, ſi in ripa ripatica, ſi in terra telonia. Et de jure communi eſt octava pars *l. 7. C. de vectigal.* Sed ex conſuetudinibus locorum diverſimoda præſtatio conſtituta reperitur. Exiguntur autem ab omnibus indifferenter: nempè in hoc omnium æqualis eſt inſpectio, qui vitam degunt privatam *l. 6. C. de vectig.* Excipiuntur tamen res, quas quis non venditionis vel negotiationis cauſa emit. *Dn. Brunnem. ad l. 5. d. loc.* (2) Qui per ſpeciale privilegium exemti ſunt à vectigalibus. Quemadmodum ejusmodi privilegio à Wilhelmo Duce Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ &c. &c. glorioſiſſimæ memoriæ, annis abhinc ducentis clementiſſimè conceſſo, cives patriæ meæ utuntur, ut ſcil. pro rebus & mercibus ſuis in ditionibus Saxonicis nullum vectigal ſolvant, ſed immunes ab omni telonio & aquatico liberè negotiari poſſint. Sic itaq; notandum, quod exemptus per privilegium ab omnibus oneribus realibus & perſonalibus & ab omnibus contributionibus, non intelligatur exemptus à præſtatione vectigalis, niſi talis adſit ſpecialis conceſſio.

§. 2. Hinc ſi vectigal non ſolvatur, pro rebus illi ob-

noxiis & à perſonis immunitatem nullam habentibus(vel, etiam ſi aliàs immunes,fraudulenter res aliorum ſuis adjiciant) jure communi res in commiſſum cadunt & confiſcantur, etſi poſtea paratus quis fuerit vectigal ſolvere *l.* 14. *l.* 16. *§.* 3. *ff. de publican. & vectig.* ſtatimque deſinunt ejus eſſe,qui crimen contraxit,& dominium earum rerum ipſo jure in dominium vectigalis tranſit *d. l.* 14. *ff. de publican.* Ad poſſeſſionem tamen conſequendam opus eſt ſententia declaratoria,uti communiter ſtatuitur; *vid. Gail.* 2. *obſerv.* 51. *n.* 5. qui allegat Autores, addentes, ex generali conſuetudine fiſcum propria autoritate bona commiſſa apprehendere. *vid Köppen. deciſ.* 50. *n.* 11. Verum moribus publicani res ſolent detinere, licet poſtea ſententiæ ſe ſubmittere cogantur, *Dn. Brunnem. Com. in Pand. lib.* 39. *tit.* 4. *l.* 14. *pag.* 421.

§. 3. Cadunt quoque merces in commiſſum, ſi quis prohibitas exportaverit vel importaverit, veluti ſi quis frumentum,ſal,arma & quicquid materiæ ad ea conficienda vel acuenda ſervit, hoſtibus noſtris, ſive ſint infideles, ſivè etiam Chriſtianæ religionis, vendat *l.* 1. *&* 2. *C. quæ res export. non deb. l.* 11. *ff. de publican. l.* 1. *C. de commerc.* (2.) Si quis partem mercium tantum profeſſus fuerit, ubi tamen hoc caſu non omnes, ſed pars, quam reticuit, committitur *Schnobel. diſp.* 19. *th.* 21. *p.* 592. Et perſequi commiſſa vectigaliũ dominus poteſt, inſtituta vindicatione, à quolibet poſſeſſore, etiam ab herede, ſi merces illæ ad eum pervenerint *l.* 14. *ff. de publican.* quæ lapſu quinquennii extinguitur *l.* 2. *C. de vectigal.* Interim ignorantia probabilis, quod quis res non denunciaſſet, excuſat à pœna commiſſi, ſecus ſi fuerit affectata & craſſa. Si autem ductor juſto aliquo errore captus fuerit, tenetur ad duplicatam gabellam *l. fin.* *§.* 10. *ff. de publican.* Non verò obligatus eſt publicanus monere

trans-

tranſeuntem, nam licet hoc non factum, offerre tamen vectigal debet tranſiens. *Dn. Brunnem. Com. in Pand. lib. 39. tit. 4. ad l. fin. §. 8. p. 421.*

§. 4. Verum jure Lubecenſi noncuplum vectigalis defraudati ſolvere, & prætereà in pœnam 4. marcarum damnantur transgreſſores; *Dn. Mev. ad Jus Lubec. part. 2. tit. 3. art. 6. p.* 320. Et in regno Hiſpaniæ mitior quoq; pœna in non profitentes merces ſuas conſtituta eſt, ut nempè quadruplicatum vectigal ſolvant. *ibid.* cum quo etiam convenit jus Saxonicum. De eo enim, qui valvarum, pontium ſivè aquarum telonium ex negligentia vel ignorantia non perſolverit, quadrupliciter illud refundere tenetur. Telonium autem forenſe qui non dederit, triginta ſolidos pœnæ nomine perſolvit juxta *Landr. lib. 2. art. 27.* Qui verò fraudulenter & doloſè peccat, arbitrariè mulctâ punitur, & bona, usque dum pœnam ſolverit, detinentur, teſte *Carpz. def. For. part. IV. Conſt. 15. pag.* 1455. Sed hoc in Saxonia non amplius ſervari & jus commune obtinere refert *Mod. Piſtor. vol. 2. conſ. 48. n.* 18. Interim praxis Fori Sax. reclamat & priorem *Carpzovii* ſententiam obſervat.

THES. XIII.

§. 1. Canon Metallicus ex metallorum fodinis in fundo privato debetur fiſco *l. 1. 2. & 3. C. de Metallar. & metall.* Cum enim metalla & alia mineralia ſint quid peculiare & inter pretioſa terrarum referenda, non ſimpliciter privatis fundorum dominis ſunt relicta, ſed canon ſolvi inde cæpit. Et olim quidem Imperator ſibi ſoli per totum Imperium hoc metallorum vectigal vendicabat, ipſique Electores de fodinis in dominio ſuo extantibus decimas exſolvere ſolebant, *Limnæus Jur. Publ. tom. 1. lib. 3. c. 2. th.* 4. Sed per *Aur. Bullam c. 9.* omne illud, etiam Regi Bohemiæ, & reliquis

liquis Electoribus attributum, ingenti publicarum privatarumq; opum incremento, ut conjicere licet ex eo, quod Albinus, diligens earum rerum annotator, *part.* 3. *Chron. Metall.* prodidit, intra 79. annos ex una auri Schnebergenſi fodina per decimas duntaxat & prærogativas mallei ſignatorii, vulgò Schlagſchatz / in ærarium Saxonicum perveniſſe 41118. tonnas auri. *ibid.* Et hoc ſpecialiter Electoribus conceſſum, poſteà perinde, ut multa in eadem A.B. iisdem aſſignata, ad reliquos quoque Principes ac Status Imperii, vel ex peculiari conceſſione & inveſtitura, vel ex immemoriali præſcriptione pervenit; *vid. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c.6 aphor. 26. p.* 215. Quæritur autem, utrum metallorum fodinæ in fundo privatorum repertæ abſolutè & indiſcriminatim, etiam quoad ipſam proprietatem, an relatè & diſtinctè ſaltem, quoad decimas, fiſco inferendæ? Et poſteriorem ſententiam confirmare videntur (1) Jura Civilia juxta *d. l. 3. C. de metallar. & metall.* ratio eſt, quod proprietas maneat illis, qui ipſorum prædiorum domini ſunt. Jam verò, cum metalla in fructu habeantur *l. 9. §. 2. & l. 13. § 5. ff. de uſufr. l. 7. §. 13. & 14. ff. ſolut matrim.* etiam ad dominos prædiorum pertinent *l. 49. 1. ff. de rei vindic. l.* 48. *de acquir. rer. dom.* & ſicuti prædia domino libera ſunt ſupra terram usque ad cœlum, ita libera debent eſſe usque ad profundum. (2) Etiam Jura Feudorum, ratio, quia privato permiſſum eſt, fodere metalla in proprio fundo jure feudali, modò decimæ inde pendantur *juxta c. un. de reg. voc. argentariæ.* (3) quoque Jura Sax. & Aur. B. quia non abrogant jus Civile ſeu feudale. Nam quod expreſſè mutatum non reperitur, illud veterum legum Conſtitutionumq; regulis relictum intelligitur *l. 32. §. 2. C. de apell. Dn. Sigism. Finckelthuſ. Controv. Feud. Diſp. 4. th. 17. p. 126.* Attamen ex no-

toria

toria Germaniæ conſuetudine aliud obſervatur, & metalli fodinæ generaliter inter regalia numerantur, nec ulli hominum licet fodere vel quærere metalla, etiam in fundo proprio, niſi de hoc prius ſit expreſsè inveſtitus, vel ſpecialiter impetraverit ab Imperatore vel Principe ſuperiore, prout etiam paſſim in variis regionibus jura de hoc conſtituta videmus, ad metalli fodinas eos tantùm admittentia, qui conceſſionem deſuper expreſſam obtinuerunt, & quidem cum onere decimarum, de omni, quod inde erutũ eſt, & ut principibus excocti argenti emptio præ aliis competat, der Zehend und Silberkauff/ *Dn. Carpz. defin. for. part. 2. Conſt. 53. def. 1. pag.* 876. Quamvis metalla imperfecta, ut ferrum, ſtannum &c. ut & lapidicinas vulgares quod attinet, loci conſuetudo ſit attendenda. Plerisque locis iſta ad dominos fundi vel Vaſallos absque ſpeciali conceſſione aut præſtatione decimarum pertinent, *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 6. aph. 26. pag.* 217. Quod maximè procedit in terris Saxonicis juxta Landr. *lib.* 1. *art.* 35. quem textum de metalli fodinis interpretatur ſummus Saxonici Juris defenſor & interpres Sereniſſimus Saxoniæ Elector *conſt.* 52. *apud Carpz. part.* 2. *def.* 4.

§. 2. Salinæ, earumq́ue reditus, etiam inter regalia computantur *l.* 17. §. 1. *ff. de Verb. Signif.* Hinc quamvis in privatorum prædiis repertæ ipſorumq́; de Jure Communi propriæ ſint *l.* 4. *§.* 7. *ff. de cenſ.* canon tamen ex iis ſive vectigal fiſco ſolvendum. *Dn. Ludvvell. Synopſ. Jur. Feud. cap.* 13 *p.* 348. Siquidem conſtat, vectigal Salinarum præcipuum eſſe in Gallia, cui Regis fiſcus innititur. Imò hodiè nemo absque ſpeciali Principis conceſſione eas in ſuo fundo ſibi vindicare poterit. Quod comprobant Jura Salinarum Hallenſium, quas titulo feudi Cives poſſident, factâ harum conceſ-

ſione

ſione ante mille annos & ſupra ab Imperatore Ottone Archi-Epiſcopatui Magdeburgenſi. *Dn. Carpz. part. 2. Conſt. 53. def. 2. p. 876.* conf. *Ahasv. Fritſchii tractat. Synopt. de regali Salin. Jure.*

THES. XIV.

Metalli fodinæ autem, quæ reperiuntur In Loco Publico, non jure aliquo ſpeciali, ſed communi ſive gentium, quô fructus prædii ad dominum prædii ſpectant, ad Principis fiſcum omni cum emolumento pertinent. *vid. B. Dn. Ludvvell. Synopſ. Jur. feud. cap. 13. pag. 345. & Dn. M. Chriſtiani Weiſſens, in Illuſtri, quod Leucopetræ eſt, Gymnaſio Polit. Eloqv. & Poeſ. Prof. Publ. celeberrimi, Fautoris mei admodùm colendi, accuratam Diſſertationem Priorem de Principibus eorumq́; Juribus th. 4.*

THES. XV.

§. 1. Quandoq́ue Thesaurus ab aliquo inventus fiſco etiam defertur, ut inquit *text. in l. 1. ff. de jur. fiſc.* Eſt autem theſaurus vetus pecuniæ depoſitio, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat *l. 31. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* quam definitionem etiam probavit Leo Imperator *in l. un. C. de theſaur.* ubi theſaurum appellat mobilia condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiori. Hæc autem theſauri depoſitio quo in loco facta ſit, nihil refert. Sive igitur ſub terra pecunia condita reperiatur, ſive in foramine parietis, aut in arbore ſive in muro, rectè theſauri nomine venit; *vid. Bald. in l. 67. de R. V.* ſi modò illius dominus ignoretur; perinde enim tunc habetur, ac ſi non ſit. Nam quæ non apparent pro non exiſtentibus habentur *l. 77. de contr. empt.*

§. 2. His præmiſſis pro univerſa materiæ cognitione concludimus. I. Theſaurus ſceleratis ac puniendis ſacrificiis, aut aliâ qualibet magicâ arte legibus odioſa, inventus,

etiam

etiam in proprio fundo, fiſco totus vindicatur *arg. l. un. C. de Theſaur.* ne quis ex delicto ſuo lucrum accipiat contra *l. 134. §. 1. de Reg. Jur.* vid. *Harpprecht. tom. 2. ad §. 39. Inſt. de rer. diviſ. pag.* 218. II. Theſaurus in loco publico, Cæſaris, Fiſci, Civitatis, ſacro & religioſo publico, fortuitò inventus pro dimidia ad inventorem, & pro alia dimidia ad fiſcum aut Cæſarem pertinet, & ita ſtatuit *Divus Adrianus* §. 39. *Inſt. de rer. div. l.* 3. §. *pen. ff. de jur. fiſc.* Quod ſi inventor partem ad fiſcum pertinentem ſuppreſſerit, totum cum alterò tanto cogitur ſolvere *d. l.* 3. *§. ult. ff. de jur. fiſc. Dn. Ludvvell. Comm. ad Inſt. lib.* 2. *tit.* 1. *de rer. div. §.* 39. *p.* 131. III. Theſaurus in loco ſuo, ſivè caſu fortuito, ſivè data opera, inventus, totus inventori cedit, ut & in locis ſacris & religioſis iis, quæ privatorum uſui & ſepeliendi juri ſubjacent *§.* 39. *Inſt. de rer. diviſ.* Eſt enim beneficium Dei *l. un. C. de theſaur.* modò in his locis theſaurus, non adhibitô perſcrutandi ſtudiô, ſed fortunæ munere oblatus fuerit. *N. O. l.* 3. *§.* 10. *de Jure Fiſci.* IV. Theſaurus in alieno loco, non data ad hoc opera, ſed fortuitò inventus, pro dimidia ad dominum ſoli, & pro alia dimidia ad inventorem pertinet.

§. 3. Verum quæ jam ex Jure Juſtinianéo de Subjecto hujus acquiſitionis dicta ſunt, noſtris temporibus variis in locis immutata reperiuntur, & Principes theſaurum, quocunque in loco repertus fuerit, perinde ut alia ἀδέσποτα in ſolidum ſibi vendicant. Siquidem hanc conſuetudinem totum ferè mundum occupaſſe nonnulli dicunt. Quod in ſpecie de Anglia, Gallia, Dania, aſſerit *Hugo Grotius de J. B. P. l.* 2. Verũ apud Hiſpanos lege regia conſtitutum eſt, ut quinta, alii legunt quarta, pars inventori relinquatur, reliquum in fiſcum cogatur. *vid. Arniſ. de Jur. Maj. c. 6. p.* 425. Sic in Imperio noſtro & plerisque ejusdem ditionibus res judicatæ hac

 tæ hac

tæ hac de materia variant: Et ideò monent magni nominis JCti, in dubio contra fiſcum reſpondendum *l.10. ff. de jur. fiſc.* & juris communis Romani diſpoſitionem hoc in negotio attendendam eſſe. Quemmadmodum Sereniſſimus Saxoniæ Elector eam ſpeciali Conſtitutione approbavit: Et ſecundum jus Romanum adhuc hodiè reſponderi, varia probant præjudicia, quæ refert *Dn. Carpzov. ad Conſtit. 53. def. 4. & ſeqq.* Sed hac de re legi omninò meretur abſolutiſſimus de Theſauris tractatus B. Dn. Caſp. Bitſchii, JCti Argentoratenſis, non ita pridem Noribergæ publicæ luci redonatus.

Atque hæc ſunt, quæ paginis præſentibus ad trutinam exigere volui: Quare diſcurſum hunc, de diffuſo pariter ac nodoſo argumento, non in juſtam Comentarii formam, ſed diſſertationis ſaltem loco meditatum, abrumpo, et, ſi non omnia pro dignitate & merito ſuo adſecutus fuero; futurum tamen confido, ut L. B. ea pro dexteritate ſua benignè ſit interpretaturus.

D. S. L. & G.

FIſcales actus *jam jam cum laude reſolvis,*
Præmia det fiſcus *divitiasq;* *TIBI.*

Hiſce Politiſſimi Domini Stromeri Jur. Cult. ſui hactenus auditoris indefeſſi, egregi[o]s ſtudii Juridici profectus excipere, ipſiq; [...] præſentis Diſſertationis elaboratione cu[m] voto omnigenæ felicitatis gratulari vol[ui]

Heinricus Linck/ D. & P[...]

FINIS.

VD1152328